

1240.

[15
255

Wietmarscher Konventsbeschluß betreffend die Memorie der Gräfin Gertrud von Bentheim, Wittibin zu Metelen.

Universis Christi fidelibus presentem cedula[m] inspecturis conventus in Sanctemarierothe eternam in Domino salutem. Noverint omnes Christi fideles presentes et posterius, quod inclita domina Gertrudis de Benethem, Methelensis ecclesie pia ac devotissima in Christo abbatissa, illud apostolicum in scrinio pectoris sui fideliter revolvens, quod omnes stabimus ante tribunal Jesu Christi singuli, prout in corpore gessimus, rationem reddituri et quod diem extreme messionis nos oportet bonis operibus et elemosinis prevenire ac seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis, quoniam, ut idem ait apostolus, qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam

eternam, pro remedio anime sue redditus trium solidorum Monasteriensium singulis annis nobis et ecclesie nostre in perpetuum habendos et possidendos comparavit, recipiendos de manso, qui vocatur Alethwide. Hanc autem assignationem (!) fecit de voluntate et consensu totius nostri conventus sub eo tenore promissi, quod quecumque custos pro tempore fuerit, hos redditus recipiens conservabit et in proxima tertia feria post octavam Trinitatis omnibus sororibus in refectorio cibi et potus faciet consolationem. Nos quoque eius fervide devotioni saltem aliqua vicissitudine respondere volentes de communi consensu, omnibus nobis consentientibus et collaudantibus, nos et successores nostras in hunc locum seu dignitatem nobis successuris (!) presenti scripto et sigilli nostri testimonio inperpetuum obligamus, quod, quamdiu eam Dominus in hoc seculo corporaliter conservare dignabitur, proxima secunda feria post octavam Trinitatis pulsatis campanis sollempnes vigiliis et die sequenti missam animarum sollempniter celebrabimus et participem eam omnium orationum nostrarum faciemus. Postquam autem ab hac luce Deus omnipotens ad eterne beatitudinis animam evocaverit, in die obitus sui sollempnes vigiliis et in die sequenti missam pro defunctis sollempniter, quo possumus, celebrabimus, et sic deinceps quolibet anno in anniversario ipsius devotissime observabimus et consolationem statutam trium solidorum scilicet in die obitus sui et anniversarii a custode recipiemus. A die obitus¹⁾ ipsius corporalem disciplinam singulis diebus pro ipsa recipiemus, et similiter quolibet die psalmum Miserere mei Deus decantabimus. Ut autem hec a posteris nostris firmiter et inviolabiliter observentur, presentem cedula[m] conscribi fecimus ipsam sigilli nostri appensione roborantes. Acta sunt anno gratie M^occ^oxl^{mo}.

Orig. Siegel ab. Handschrift: Lemeghe to Nelden. IX. Rep. I. 32.

Kreis
Steinfurt

S 255